

ILLVSTRISSIMO
BONONIENSIS REIPVB.
SENATV I.

IOANNES COSTÆVS S. D.

SI humanum genus ceterorum animalium natura una ea animi parte antecellit, quam rationis participem ex diuina mente decerptam habet, iure profecto, qui inter homines rerum præstant cognitione, hos quoque in humana natura omni, superare alios dignitate, & gloria fatendum est. Rectè igitur & Aegyptij primariam hominis nobilitatem in literis, atque in rerum diuinarum humanarumq; cognitione, quam sapientiam vocant, posuerunt. & non sine laude antiquissima illa fuisse controuersia de nobilitate, eam sibi vendicantibus gentibus varijs ob literarum inuentionem, atq; ob animi cultum in scientiarum perquisitione. ex hoc celebris illa quoque tam multis urbibus de Homero contentio, dum viri illius literarum ornamentis præclarissimi ortum sibi quoq; ascriberet, & à studijs literarum illa effluxit Atheniensium gloria, non exteris modo, sed etiam nostris non sine tacita cuiusdam inuidentiæ suspitione commendata, ac supremis laudibus elata. Et si autem alij in armis quoque sitam esse hominis nobilitatem & gloriam acerrimè contendunt. alij opum etiamnum adeò habendam rationem putarunt, ut diuitias conditionem ad nobilitatem necessariam existimarint: at neq; tamen illi quidem rerum cognitionem, atq; ingenij cultum in literis, solidissimum esse bellicæ virtutis fundamentum diffitebuntur: neq; Romanos armorum potius ferocia, quam sedendo, & confidendo vicisse affirmabunt: vel si affirmant, studium tamen quod in literis, & rerum perscrutatione versatur, sicuti humana natura, imò & diuina est consentaneum, ita etiam hoc nomine laudabilius, gloriosius, nobilitateq; omni alio hominis studio longè excelsius esse non poterunt dissimulare. Neq; rursum qui diuitias partem habere censent in nobilitate, præponunt tamen virtuti; ac rerum cognitioni opes. sed corollarium tantum quoddam nobilitatis, fortuna bona, opes inquam, honores, aliq; eius generis esse arbitrantur, quæ verè non constituunt, sequuntur autem frequenter, non perpetuo tamen, nobilitatem. Itaque quum tanta literarum sit dignitas, ut eas in præcipuam laudem, ac nobilitatem sibi sapientissima quoq; gentes posuerint: Nunc ut ad vos redeam BONONIEN. REIP. SEN. AMPLISS. quanto iam splendore inter nobilissimas non Italia modo, sed orbis totius ciuitates vestra RESP. emiteat, planè apparet. Literas quidem summa alias cura excoluit Aegyptus: exarsere eodem studio & Græcia, & Gallia. admirandos quin etiam in yis progressus Italia vniuersa fecit, Sicilia præsertim, atque ea pars, quam magnam

a ij Græ-

Graciam vocarunt, Thaletis, Archita, Pythagoræ, Timæi, totq; aliorum clarissimorum philosophorum mater, ex quibus non Italica modo, sed & Platonis fere, atque Aristotelis ortum duxit philosophia. At si tamen profiteri vera liceat, nihil est cur illis BONONIEN. RESP. concedat. quæ non modo erecto ad earum imitationem gymnasio, virisq; ex universo orbe clarissimis publice, & maximis præmijs ad se accersitis, semper in sustinenda veterum disciplinarum dignitate laboravit. sed præterea etiam dum in piæ, veræque, ac summæ philosophiæ, dum in sacratissimæ medicinæ, et legum studijs post ea tempora in clariorem, atque explicatiorem culturam reuocatis, annos iam fere mille ac ducentos studiosissimam adhibet operam; eoque perduxit literas, ut illarum non seruatum modo gradum, sed maxime amplificatam etiam maiestatem videamus. Hæc quum mihi P. A. admirabiles Reip. literariæ progressus cogitanti quandoque in mentem venirent, atque communium is, qui literas profitentur debito, REIP. vestra plurimum debere me intelligerem: subiret vero adhuc animo, tum uniuersæ istius patriæ splendor in omni virtutum genere illustrissimus, tum priuata illa, et gentis vestræ propria ciuilis conuersationis virtus, quam quasi humanæ naturæ ideam, humanitatem vocant, haud facile profecto explicarim, quo tenerer desiderio oblatam mihi iri occasionem, qua huius mei erga vos propensi animi dare aliquam possem significationem. Superauit benignitas vestra meam omnem diligentiam PATRES. qui quasi consilij mei conscij non modo eam mihi ultro obtulistis prouinciam, ex qua mea erga vos gratitudinis significandæ amplissimum locum sum nactus, sed eam quoque dignitatis meæ habuistis rationem, ut vere ego quidem neque honestius, neque maius à me aliquid expeti unquam potuisse sim perpetuo professurus. Quis enim à tantis sese viris omni virtutum, et literarum ornamento spectatissimis alicuius æstimari non gloriatur? quis in summam sibi non reponat gloriam, dignum esse habitum, qui cum tot in disciplinarum omnium orbe consummatissimis professoribus, in honorificentissimo omnium gymnasio locum aliquem habeat? Itaque quando vestra ego patriæ nobilissima tot & publicis & priuatis nominibus debeo, sperare ipse quidem possum fore aliquando, ut grati, memorisq; huius animi mei candorem clarioribus argumentis patefaciam. nunc vero, quod possum, meum hunc fætum, measq; lucubrationes vobis offero P. A. quas olim in Mesuen Medicum doctissimum inchoatas, nunc vero absolutas in vestrum apparere nomen volui, ut vestrorum erga me meritorum, meaque in vos obseruantie sint testimonium: susceptumq; à vobis mei patrocinium esse omnes intelligant.